



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 98. Ab iisdem Electoribus Deputati ad Basileenses.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

suaderet, idque S. R. I. Electoribus expeditur videretur.

Sæcul. XV.

A. C. 1438.

## §. XCVIII.

*Ab iisdem Electoribus Deputati ad Synodum.*

Accepto hoc Eugenii responso Germaniæ Principes suos pariter Deputatos Basileam mittebant, qui a Synodi Patribus peterent, ut iudicii acta in Papam instructa suspenderent, & futuri conventus decisionem expectarent. Basileenses mox suorum quinquaginta seligunt, quibus hæc Principum postulata serio examinanda traderentur, ut denique, quid consilii caperent, deliberarent. Censebant nonnulli, ad trimestre duntaxat Principum votis cedendum esse: Cardinalis vero Arelatensis pronuntiabat, depositionis quidem sententiam ad trimestre differri posse, interea tamen accusationum testes adversus Eugenium audientes, ne is innocentiam suam ulterius jactare, & Synodo iniquæ accusationis calumniam affingere possit; hac quoque agendi ratione faciliore concordie spem affulgere; Papam enim, ubi causam suam testibus comprobari intellexerit, abs dubio ad obediendum proniorem ostensurum animum. Hanc ob rationem toto residuo hujus anni spatio nulla habebatur

*Vid. infr.  
§. CVIII.*

tur



Sæcul. XV. tur Sessio, sed usque ad Mensẽm Majum  
A.C. 1438. sequentis anni differebatur.

## §. XCIX.

*Bituricensis conventus Cleri Gallicani  
a Carolo VII. Rege cele-  
bratus.*

*Gaguin. l. 18* **E**cclesiæ Gallicanæ Clerus a tempore  
quo Sedes Apostolica Avenionem  
translata fuerat, innumeris propemodum  
oppressionibus a Romanæ Curie Mini-  
stris vexabatur, nec ejusmodi mala Re-  
gum querelæ nonnunquam severioribus  
etiam minis junctæ extinguebant. Quo-  
propter Carolus VII. Galliarum Rex oppor-  
tunum adhibiturus remedium currenti  
hoc Anno Avarici Bituricum Cleri Gal-  
licani comitia indixit, hac occasione im-  
petraturus, quæ a tempore Constantien-  
sis Synodi nequicquam sollicitabat. Ce-  
lebris erat hic conventus, cui plurimi  
iique illustrissimi totius Regni Præsules  
necnon Pontificis ac Basileensium Legati  
assistebant: Præsidis munus ipse Rex  
obibat. Aderant quoque Ludovicus Del-  
phinus ejusdem Fillus; Carolus Borbo-  
nii Dux; Carolus Andegavensis Ceno-  
maniae, & Bernardus Marchiæ; necnon  
Ludovicus Vindocinii, Guilielmus Tar-  
carvillæ Comites, præter plures alios  
Proceres, ac Viros tam Ecclesiasticos  
quam